



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Proterria quadam Philosophica.

2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.

3. Gymnasium Ethicum.

4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Comentatio.

D. O. M. A.

GYMNASII ETHICI EXERCITATIO XIII.

De

Semivirtutibus.

Quam

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profesſ. Publ.

Placidæ ventilationi ſubjicit.

JOANNES NEISSERUS,

Thorun. Boruſſus.

In Gymnaſio Gedanenſi.

Ad diem Novemb.

Horis locoq; deſtinatis.

DANTISCI,

Typis Viduæ GEORGII RHETII.

Anno M. DC. XLIX.

EXERCITATIO XIII.

De Semivirtutibus.

SIc Virtus ex pleno habitu ſpectata, ubi propriè Virtus dicitur. *Spectari poteſt & in inchoato*, ubi gradus, diſpoſitio, & inclinatio aliqua ad virtutē eſt, ei affinis, ad eam inducens & promovens, quam conſequenter *in Ethicis* non planè omittere, ſed tractare oportet, *d. 4. t. 13.* Ad prima enim adſpirantes, in ſecundis tertiisq; interdùm ſubſiſtere ſatis eſt. Ea *ſemivirtus* uſitatè dicitur, *quæ ad finem Ethicæ facit, quà bonitatem aliquam ſibi conformem habet, & vim animi ad perfectum medium morale, virtutem, ſuo modo diſponit.* Unde magis *diſpoſitio*, quàm *potentia* dicitur, quia animum ad perfectam virtutem excitat & diſponit, ac ad certam contradictionis partem inclinat, cum potentia ex ſe ad utramq; indifferens ſit. Et actum ponit illa & requirit, ut continens continentiæ, tolerans tolerantiæ actum præſtat, cum potentia eum ſuſpendere queat. Ex hac ergò diſpoſitione virtutem in *Ethicis* etiam ſpectare non inutile fuerit.

2. *An Virtus gradus admittat, eòq; juſtè in perfectam & imperfectam dividatur*, hic quæritur? *Stoici* ut vitia paria, ſic virtutem in centro & indiviſibili locârunt. *V. Plutarch. l. de Stoicor. contrad. p. 1038. T. 2. Op. Senecam L. 1. ep. 71.* Contrarium *Ariſtoteles l. 4. Top. loc. 77.* Et *Ariſtotelei* aſſumunt, *Piccolomin. gr. 4. c. 45. Jac. Mart. C. 3. d. 7. q. 8. Waleus p. 102. Eth. Timplerus 2. Eth. c. 1. q. 5. Velſtenius d. 3. Eth. q. 8. Alſtedius Eth. 1. c. 3. Et Eth. 2. c. 4. Eth. 3. c. 2. l. 9. c. 3. t. 2. Et p. 1. Geometr. c. 4. t. 5. Quà eſſentiam* & definitionem virtus ſemper eadē, nec gradibus variatur, una enim definitio omnis

 virtu-

virtutis: *Sed quâ accidentalem intensionem*, statum & existentiam, gradus admittit, & in uno ratione subjecti, in quo, circumstantiarum, sub quibus, & adjunctorum, cum quibus, major, in altero minor esse potest. *Heroica* quidem & summa virtus ulteriores gradus non recipit, cum summum fastigium nacta sit: *Communis* tamen & ordinaria eos admittere potest.

3. Quod patet 1. *Artificialiter* à requisitis rei ad rem ipsam, nam principia, objecta, actus, & affectiones virtutis varietates suscipiunt. Sic albedinis, nigredinis, caloris, frigoris, principia & objecta gradus habent, E. & albedo, nigredo, frigus, calor ipse. Sic fervor & tepor, intensum & remissum frigus ac calor, gradus sunt. Principia virtutum, inclinatio naturalis, temperamentum, prudentia, actiones variant in hominibus. *Item proæreses* & intentiones pleniores & semipleniores, intensiores & languidiores, constantiores & inconstantiores sunt. *Objecta* variare possunt, ut terribile majus & minus in fortitudine, delectabile majus & minus in cibo, potu, & Venere esse potest. *Appetitus item irascibilis & concupiscibilis* in uno subjecto intensior ac constantior, ac altero, qui objectum internum virtutis est. *Actus virtutum* variant, ut in uno intensior fortitudinis & temperantiæ actus, ac alio, ut Simsone, Alexandro M. Scipione, Socrate, Judâ Maccabæo. *Affectiones virtutum* variant, gaudium & delectatio de honestè acto, quæ validiores & remissiores quandoq;. E. & ipsa virtus in subjectis varietatem admittet. 2. *Quia virtus* medium Geometricum, non Arithmeticum est, *d. 4. t. 5.* Illud autem non semper æqualiter ab extremis distat, sed inæqualiter. E. in hoc distare gradus aliquis erit, ut magis ab uno, minùs ab altero extremo distet. Sic Liberalitas

minùs

minùs à prodigalitate, magis à tenacitate diſtat. E. & Virtus gradum habere poterit. 3. *Quia* Virtus heroica à communi gradu & eminentiá differt, *d.14.t.17.* At illa utiq; virtus eſt. 4. *Inartificialiter*, *partìm* experientia, quâ conſtat, unum in virtute plus altero profeciſſe, & quotidianis exercitiis perfectiorem reddi, *partìm* authoribus, qui communiter gradus Virtutum agnoſcunt. *V.t.2.*

4. *Dices 1. Rectô non datur rectius.* Virtus autem rectum quid. *R. Recto Mathematico*, quod in ſummo & abſolutisſimo eſt, benè Ethico & Politico, quod in aliqua latitudine eſt, quale quid Virtus. *t.3.* Et recto non rectius in ipſo eſſe recti, benè in accidentali ejus ſtatu, quod de Virtute hic dicitur *t.2.* *2. Virtus medium Geometricum eſt*, quod uno tantum modo attingi poteſt. E. indiviſibile quid. R. Virtus quâ medium, ſemper eſt indiviſibile quid, ſemper enim medium extremorum eſt: *Sed quà ſtatum & gradum in iſto medio latitudinem admittit*, & ſic gradum habet. Sic ex ſplendore, accidentib. ſubjectis, circumſtantiis, major in uno, ac altero virtus eſt, *t.3.* 3. *Non miſcetur* cum extremis, aut additionem ſuſcipit. E. nec intenditur. R. Non compoſitionis extremorum, ſed negationis medium eſt, *d.4.t.8.* Sed in hoc negare latitudo eſſe poteſt, *t.3.* Et Virtus excelſior & depresſior eſſe poteſt, ut medium tamen in utroq; ſervet. *Gradum non admiſtione oppoſiti, ſed accidentium & ſplendoris ratione habet.* 4. *Medium* inter extrema non admittit additionem aut detractionem. E. nec gradum. R. Non admittit *in formali & definitione medij*, ſic enim ſemper medium: benè in ratione ſtatus, accidentis, & ſplendoris. Sic enim medium inæqualiter ab extremis diſtat. *t.3.* Et ratione accidentium ſplendidius & viliùs exiſtere aut ſervari poteſt. 5. *Ariſtot. 2. Nicom. c.6.* rectè agere unô

 tan-

tantùm modò esse ait, sed malè variis. E. invariabile id rectum esse oportet. *R. Vno modo est, quia in medio est*, non extra illud. Sed hoc medium ex subjectis & accidentibus sub majore aut minore splendore, statu, gradu, esse potest, ut medium tamen maneat, & sic variat.

5. Si gradus admittat, an prius de semivirtute, quàm plenâ agendum, quæritur? Sic enim vult *Waleus p. 3. Eth. p. 148.* Quòd ab imperfectioribus ad perfectiora evidentiùs procedatur factoq; ita procedunt *Timplerus 2. Eth. c. 1. Piccolomin. gra. 3. Alstedius Eth. 1. c. 3. & 2. c. 4. Eth. 3. c. 4. Alij* in totum eam omittunt ex *Ethicis*, ut *Raconis*, *Morisanus*, *Eustachius S. Pauli*, *Riedt*, *Pavonius*. *Alij* Semivirtutem postponunt, ut *Keckermann. l. 3. Eth. c. 1. Bartholinus p. 2. Eth. c. 12. Zapfius p. 468. s. 28. Gutkius d. 14. Eth. Elerus d. 12. Eth. Crugerius in hort. Virtut. q. 92.* Et ipse *Aristoteles 7. Nicomach. c. 1. 2. seq. alijq.* Quasdam & ipse *Waleus. p. 218.* Et rectiùs. Nam faciliorem & distinctiorem cognitionem facientia præmittenda, ut in *Log. d. 16. t. 10.* dictum. Virtus autem ad faciliorem semivirtutis cognitionem facit, cum nemo sciat, quid semivirtus, nisi antè sciat, quid virtus sit, quomodo nemo semihominem & semiferam sciat, nisi qui quid homo & fera sit, antè sciat, nec perfectè dispositionem, nisi qui habitum antè sciat. *Ordine* producentis & generantis naturæ dispositio antè habitum, & semivirtus antè virtutem est: Sed melioris & distinctioris notitiæ contrà est. Et ab imperfectioribus ad perfectiora evidentiùs proceditur, cum nempè illa ad horum distinctiorem cognitionem faciunt. Sic brutum præmittitur homini in Physicis, quia ad hujus notitiam facit, cum multa illi cum eo communia, quæ ex illo cognosci possunt. Sed ubi id non faciunt, perfectiora rectiùs præmittuntur; ut visus

è sen-

è ſenſibus, aurum è metallis, Monarchia ex Rebuspubl: verus ſyllogiſmus ex argumentis, reliquis præmittuntur.

6. Semivirtus vel virtus imperfecta *interdùm* virtutis umbram notat, ut in brutis, *d.3.t.8.* *Interdum* omnem virtutem ſemiplenam, ſic totuplex, quot ipſa virtus eſt, ſic ſemitemperantia, ſemifortitudo, ſemimodeſtia erit; *Interdùm* virtutem in gentili & incredulo, quam vitium Patres quidam vocant, *d.8.t.19.* *Interdùm* diſpoſitionem, gradum, affectum probum ad virtutem deducentem, qui diſtincto nomine enuntietur, in quocunq; homine ſit, ſivè credente, ſivè incredulo. Sic *hic* ſumitur, & diſpoſitio virtuoſa, virtus inchoata, imperfecta, ſemiplena, via, gradus, & principium virtutis dicitur, *Ariſtoteles* ὡς ἤινὰς ἀρετὰ *4. Nicom. c.15.* διαθέσεις ad virtutem vocat, *Lib.7.c.1.* & in definitione, diuiſione, analogicâ attributione, collatione, & oppoſitione ſemivirtus ſpectari poteſt.

7. Definitio eſt, *Semivirtus eſt proba animi humani diſpoſitio ad virtutem completam excitans & inducens, eidemquè analogicâ aliquâ attributione inæquali correſpondens.*

8. *Genus eſt diſpoſitio proba*, h. e. qualitas remiſſam operationem faciens, ad aliquid monens & inclinans. *Non habitus* eſt, non enim ultimam perfectionem, promptitudinem, facilitatem, conſtantiam, ſuppetit, nec actum velut ex habitu perfectum facit. *Nec potentia* naturalis, nô enim ad bonum & malum indifferens eſt, ut illa, ſed bona, quanquam remiſsè: *Nec patibilis* qualitas, quia non naturâ ſui ad objectum externi ſenſus ordinata eſt, *nec forma* aut figura, quia non externa rei delineatio. *E. Diſpoſitio*, plura enim in ſpeciebus qualitatis non dantur, ut alibi traditur. *Proba*, quia ad probum incitat & inclinat, ut ab improbâ diſtinguatur, quæ etiam in homine, & oppoſitum illius eſt. *t.16.*

Sic

Sic ſangvinei ad intemperantiam, atrobilarij ad amarulentiam, Cholerici ad iracundiam, phlegmatici ed ſocordiam inclinant, ut hic illud valeat, *Natura ſequitur ſemina quisque ſuæ. Animi humani*, quia primò in illo, eumq; inclinat, etſi occaſionẽ ex corpore ejusq; temperamento habeat. Vnde hoc ad virtutem juvat, *d. 4. t. 4.* Corpus enim vivum animaq; præditum diſpoſitionis naturalis vel acquiſitæ capax eſt. *Humani*, quia hominis proprius animus, non Dei, angeli boni aut mali, bruti, plantæ, inſenſati, & hujus propriæ virtutes & vitia. *d. 3. t. 3.*

9. Cætera pro differentiâ ſunt, & ab officio actuq; ſemivirtutis in homine ſumpta. Inducere & excitare animum ad completiorem virtutem dicitur. Sic *inſtinctus naturalis honeſtus*, verecundia, miſericordia, ad modeſtiam, benignitatem, liberalitatem, hoſpitalitatem, juſtitiam movet, ac ſemina & incitamenta illis ſuppeditat. *Virtuti attributione analogicâ inæquali reſpondens.* Quia non ipſe habitus & virtus plena, ſed aliquid ei analogon eſt, ut verecundia, continentia, miſericordia, quaſi aliquid virtutis eſt. *Inæquali*, quia attributio illa quoad ſpecies ſemivirtutum *inæqualis & diſpar eſt*, & quædam propiùs ad virtutis naturam accedit, ut acquiſita, quædam remotiùs, ut naturalis. Sic continentia propior eſt temperantiæ, quàm verecundia, aut miſericordia: tolerantia fortitudini, obedientia modeſtiæ, quàm pudor aut inſtinctus. Alia remotiùs ab eâ diſtat, & laudabilis magis affectus, quàm ſemivirtus eſt, ut miſericordia, verecundia. Vnde inæqualiter de illis ſemivirtus dicitur, de alijs priùs, de aliis poſteriùs in analogato. *Sic inſtinctus naturalis valdè remotè ſemivirtus: propiùs affectio naturalis, ut miſericordia, proximè acquiſita*, Ut tolerantia.

10. Di-

10. *Divisio semivirtutis varia est. Keckerm.* in imperfectam ex genere, ut pudor, misericordia, Invidiæ & suspicionis carentia; æmulatio, pœnitentia, & genere ac effecto simul dividit, ut continentia & tolerantia. *L. 3. Eth. c. 1. 2. 3. Timplerus 2. Eth. c. 1. q. 9.* rejicit, quòd multa non semivirtutes, sed affectus, ut pudor, *sympathia*, pœnitentia, *vel* privationes, ut carētia suspicionis & invidiæ, vel universa virtus, ut obedientia, sint. *Quibus* facilè occurritur, si ambiguitas & analogica Semivirtutis ad species suas attributio observetur. *t. 6. 9.* Affectus quà motus cordis, *Physicæ*, quà dispositio, gradus, principium, inclinatio ad virtutem, *Ethicæ* tractationis est, & sic hic occurrere potest. Et obedientiæ vox generalissima est, varia notans. Quoddam significatum hujus loci est, & sic ea hic ferri potest, *t. 15. Commodissima in naturalem & acquisitam est. Naturalis*, quæ à naturâ homini competit & connascitur, quamvis magis aut minùs. *Hæc vel instinctus, vel affectio naturalis est.*

11. *Instinctus est inclinatio congenita*, quâ ob temperaturam ad benè honesteq; agendum homo internè instigatur. Dari eum patet 1. *Ratione*, quia ad omnem virtutem φύσις, μάθησις & ἄσκησις requiritur. Obstante enim naturâ irritus labor est, & malè respondent coacta ingenia. *Seneca d. tranq. c. 6.* Sed ad φύσι instinctus pertinet. *2. Scripturâ*, quæ idem insinuat. *V. Sap. 8. v. 19. 20. c. 3. 7. & 12 seq. 3. Experientiâ*, quæ rem attestatur. Sic heroicæ indoles ab adolescentia ad præclara nituntur, & honesta complexi sunt, cum primùm audierunt. *V. Senecam l. 1. ep. 95. & de tranquill. c. 1. Puteanum Cent. nov. ep. 5. Horatium l. 4. od. 8.* Degeneres animi vix ad bonum adolescunt. Nam naturam plerisq; sequuntur. Art lest von Art nicht/ die Katze lest jhr mausen nicht/ der Speck wil von der Schwarten nicht. Sic

 ex fu-

ex furacibus & mendacibus tales, libidinosis libidinosi nascuntur. Ita gigantes feri, immanes, stolidi fuerunt. *V. C. à Lapide in Gen. 6. v. 4. Conf. Sap. 14. v. 6. Baruch. 3. v. 26. 28.* *4. Authoritate.* Sic *Arist.* à naturà nos habiles ad virtutem ait, *6. Nicom. c. 13.* Et naturà duce non solà opinione, honestum amatur, *D. 1. dec. 3. t. 27. Conf. Platonem 6. d. leg. & 6. d. Repub. Aristotelem 1. Pol. c. 2. Senecam c. l. & ep. 73. aliosq.* Peccatum originis totaliter quidem hominem infecit, sed in regno & dotibus spiritualibus; In civilibus & naturalibus rudera manserũt, unde se ad honestũ civile provehere homo queat, & homo mansit, non in brutum degeneravit. *Rom. 1. & 2. V. d. Not. Nat. c. 3.* Et instinctus cum sensum & appetitum distortum sequitur, ad pravum, cum mentem & rationem, ad bonum inclinare potest. Quidam negant, instinctum semivirtutem esse, ut *Kracevitz d. 13. Eth. t. 24.* Sed ex *t. 9.* patet, quid hic habendum.

12. *Affectio proba est dispositio animi laudabilis, viam virtuti aperiens, ad eamq. hominem præparans. Estq. vel quà nos, vel alios.* Quà nos, ut verecundia, affectio ex impulsu naturæ surgens, metum dedecoris aut reprehensionis ob turpe factum quà personam habitum notans. Sic cum aliquid personam dedecet, etsi naturà sui turpe non sit, ut senatorem in publico edere, quod Diogeni nullum pudorem incussit. *Hoc vel proprium est*, ut cum honestus Scortum aut famosam mulierem ob pecuniam ducit, *vel alienum*, ut cum filia ejus stuprum passa. Sedes pudoris genæ dicuntur, quæ rubescunt. Cur *in facie id magis, quàm alia parte, causas* reddunt *Arist. & Septalius in problem. Conimbr. de brevit. vit. c. 8. q. 6. Oppositum impudentia est*, ut in Caligula, & illicitus pudor, *Sirac. 42. v. 25. Conf. Zvinger. Vol. 4. & 12.*

13. *Quà alios, ut misericordia, insuspicacitas, non invidia,*

& Ne-

& Nemesis. Misericordia est condolentia ex adversis rebus proximi immeritò afflicti judicati orta. Cum meritò ob scelera quis patitur, prudens non condolet. Ut cum fures, latrones, polypragmones, pro meritis puniuntur. *Oppositum* nimia condolentia, & indolentia ac immanitas sunt, vel cum Stoici sapientem non moveri dixerunt. *V. Senec. 2. de Clem. c. 4. seq. Ep. 74. 85.* Alienè, & præter rationem. *Insuspicacitas est affectus laudabilis*, quò non facilè sinistrè de aliis præsumimus. Theodosium de eâ laudat *Ambrosius, Marl. p. 954. Collect.* Et Darium *Curtius l. 5. C. 11. Oppositum* est suspicio, quæ non facilè in virum bonum cadit. *V. Ciceron. l. 1. ep. 1. ad Quint. fra.* Et nimia simplicitas. *V. Zvinger. Vol 4. l 1.*

14. *Non invidia* est proba dispositio, quà bona aliis data libenter ferimus & gaudemus. Ex naturæ liberalitate oritur, quà nemo alterius virtuti invidet, qui suæ confidit. *Cic. Phil. 10. t. 1. Ejus oppositum* invidia sive invidentia est, superbiæ filia, vilisq; ac distorti animi, cujus optimum remedium, *Invidos virtute torquebo. Nemesis est proba dispositio* dolorem ob præmia indignis tributa, dignis negata, concipiens. *Rigerus 2. Eth. c. 29.* ad justi: distributivam refert. Rectiùs dispositio & affectus laudabilis, quàm virtus dicitur, non enim acquiritur, sed connascitur, ut prudentia quædam naturalis, quà bonis malè, & malis benè esse iniquum censetur. *Oppositum* nimius de bono improbi dolor *V. Psal. 73. Jer. 12. Habac. 1. Et epichairekacia*, dolor de felice, gaudium de infelice aliorum statu, vitium Sathanæ proprium, & qui eum sequuntur: *Et incuriositas*, ac fastidium humanorum, ut in Diogene & similibus.

15. *Acquisita semivirtus est, quæ industriâ humanâ ab homine comparatur, & animo inseritur. Vt continentia, tolerantia & obedientia. Continentia* est semivirtus acquisita, per rectam rationem à voluptatibus temperare faciens imperfecte, &

cupiditate repugnante. Per rationem à pertinaciâ, per imperfectè, à plenâ virtute, quæ temperantia, distinguitur. *Oppositum incontinentia*, quà sciens contra rationem à cupiditatibus ad peccandum abripitur, quæ minùs deterior intemperantiâ, & naturæ stupor ac insensatio est. *Tolerantia est semivirtus per rectam rationem adversa & laboriosa incumbentia cum luctâ honestatis gratiâ perferre faciens.* Continentia circa voluptates, tolerantia circa dolores & molesta versatur. Incumbentia, ut actu jam imposita sint, nec depelli possint. Fortitudo ardua etiam futura prospicit & recipit, tolerantia præsentia. *Oppositum* obduratio, quà nullum adversum curatur, de quo, Sis asinus, quemcunq; a. f. a. f. Sic Bernenses. *V. Zvinger. Vol. 4.* Et mollities ac impatientia est. *V. Eund. Vol. 7. & 17. Athena. Li. 12. Valerium M. l. 9. Obedientia semivirtus est, præscripta prudentum & superioris legitimi decoris & honesti gratiâ implere faciens.* Prudentum, non fatuorum, furiosorum, infantum, inhonestorum. Quomodo Judæorum & Papistarum interdùm cæca obedientia. *V. Catech. Jesuit. l. 2. c. 9.* Superioris legitimi, non injusti invasoris, tyranni, occupatoris. Sic Dæmoni Christianus non obediet. Est Ecclesiastica, Politica, Oeconomica. *V. Zvinge. Vol. 14. Oppositum* nimia obedientia citra rationem justi, & inobedientia, contumacia, pervicacia, est. Exempla *Zvingerus Vol. 15. & 16.* habet.

16. Collatio semivirtutis ad virtutem est ratione *convenientiæ*, qua utraq; moralis & bona est, & *discrepantiæ*, ubi illa inchoatio, hæc completio est, & sic gradu differunt, non specie; Et præstantiæ, quà Virtus præstantior semivirtute etsi hujus actus difficilior, quod ex imperfectione Virtutis & agentis, non objecti, circa quod, est. *Oppositũ ejus semivitiũ est*, dispositio ad vitium excitans & disponens. *Totuplex, ac semivirtus est*, & ex *1. 10. 11. seq.* patere potest.

